



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Quàm prodigiosè fama castitatis in Britio Episcopo sit defensa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

§. V.

Quàm prodigiosè fama castitatis in Britio Episcopo sit defensa?

S. Gregorius
Turonens.
lib. 2. hist.
Franc. c. 15.

Britius Episcopus Turonensis, trigesimo iam tertio anno, magnâ sanctitatis famâ, præerat Ecclesiæ suæ, cum repente laus omnis, arte stygis, in infamiam mutata est. Lotrix enim, ad quam cubicularij illius vestes lineas abluendas deferre solebant, vterum ferre cœpit, ac ne hydrops esse putaretur, puerum edidit. Vt ergo pronum est ad suspensiones vulgus, illico Præsulem criminis eius reum proclamauit, itaq; vehementer exarsit, vt eum vellet lapidare. Dicebant enim ad vnum omnes: *Satis diu pietatis mantelo luxuriam tuam celauisti: non vult nos Deus diutius decipi, atque impuras manus tuas osculis nostris honorari.* Negauit Episcopus id à se facinus admissum; cumque populus ea negatione contentus non esset, dictitans, nihil assuetius esse reis, quàm vt scelera sua inficiando tegant, *Adferte*, inquit Britius, *infantem ad me.* Itur, adfertur triginta dierum infans: eo apportato, *Adiuuro te*, ait, *per Iesum Christum Filium Dei omnipotentis, vt si ego te generavi, coram cunctis edicas.* Stupenda res, *ex ore infantium* prodit testimonium

nium innocentis. Itaque vix mensem nata proles, difertè fari coepit, dixitque: *Non es tu pater meus.* Ibi suspicione temeraria in admirationem versa, Episcopum praesentes anxie rogarunt, vt etiam, quisnam eius infantis esset pater, sciscitaretur. Tum ille censens curiositatem miraculo indignam, *Non est hoc meum,* inquit, *quod ad me pertinet, sollicitus fui. Vobis si aliquid suppetit, per vos quarite.* O quam mutabile est vulgo ingenium? quia curiosus S. vir noluit reum prodere prodigiosa infantis responsione, mox admiratione in indignatione versa, id quod contigerat, magicis artibus aiebat populus contigisse. Itaque impetu facto, manus in eum iniiciebant, eumque trahentes clamabant: *Non diutius nobis falso pastoris nomine dominaberis:* Ille igitur, vt innocentiae suae miraculoso testimonio calumniam patefaceret, vestis suae sinu ardentis prunas excepit, & comitante toto populo, eas illas vestibus vsque ad sepulchrum S. Martini pertulit; quas postquam inibi effudit, addito illo epiphonemate: *Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis illa sum, ita & corpus meum à mulieris coitu est impollutum.* Igitur, ne, quando innocentes sinistra fama
conta-

contaminantur, maneat indefensi, Deus linguas infantium facit disertas; & vel ignibus illustrat Sanctorum suorum castitatem; quemadmodum olim calefactam Nessi sanguine vestem, venenumque æstu excitatum adhibuit in pœnam impuritatis. Sed apud primos Christianos v̄sitatissimum fuit, ut ignium lustratione crimina diluerentur,

§. VI.

Quomodo olim innocentia sit per ignes probata.

Certè apud Francos sæculo post Christum octavo, in more erat, ut innocentiam suam testaturi, ferrum candens manibus gestarent. Quod si non ladebantur, testimonium erat innocentia. Si verò ladebantur, signum erat, quòd rei essent. Solebat autem ferrum candens sic consecrari: Deus index iustus, qui autor es pacis, & indicas equitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis, benedicere & sanctificare digneris: ita ut si innocens (de prænominata causa, unde purgatio quærenda est) hoc ignitum in manus acceperit, illesus appareat: & si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declaranda, quatenus iustitia non dominetur iniquitas, subdatur falsitas

Auentinus lib 4.
Annaliū
Boiorum.